



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De amore Dei & proximi, 29

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

pleam, quo ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam, Amen.

C A P V T X X I X.

De amore Dei & proximi.

1. **O**Rdinata dilectio (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnia per amorem ordinas) est amor verus ad te, & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te, & super omnia. Si autem amor quo quisquam te amat, est propter temporalia, non est amor ordinatus, sed tibi contumeliosus. Quia qui te amat propter temporalia, plus amat temporalia quam te. Vnde cum tali amore præponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumelia & offensa tui. Non enim est amor ordinatus, nisi tu super omnia ameris, cum tu in infinitum melior sis omni creatura. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus propter te, & quia æque ad te ordinate amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quam tu amentur, non est talis amor ordinatus: neque sic amans est te dignus. Duo enim sunt præcepta à te nobis data: Dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint præcepta, tamen unus est amor, quia alius amor non est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare.

2. Cogitatio namque hominis, Domine Iesu Christe, veræ dilectionis ordinator,

semper debet esse ad te diligendum, & proximum: te quidem ex toto corde, & ex tota animâ, & ex tota mente; proximum autem sicut seipsum: ut scilicet caveat inferre proximo, quæ sibi inferri nolle: & impendat ei beneficia quæ sibi vellet impendi. Ista namque, benignissime Domine, semper sunt attendenda, semper cogitanda, semper retinenda, & semper totis viribus exercenda, & adimplenda. Per amorem autem proximi cognoscitur amor tuus, Domine, conservari & nutriri: nam qui vere te amare negligit, diligere proximum nescit. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solam amas ordinatam dilectionem, quid dicam aut quid faciam ego durissimus peccator, qui præ maxima durtia cordis mei non te ordinate dilexi, neque proximum propter te; sed frequenter propter utilitatem propriam consequendam, aut damnum evitandum: & ita non fuit in me verus amor, sed adulterinus. Auxiliari mihi digneris, piissime Domine Iesu Christe, charitatis & pulchræ dilectionis ordinator, parcendo mihi peccatori, & misericorditer impertiendo immensam clementiam tuam, & cor meum lapideum sic mollificando, ut ad te tota mente convertat, te diligam, & proximum propter te; ut recum in ordinata charitate vivam in æternum, Amen.